



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quinam sint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quã quis respectu certæ tantum personæ impotens est; alia præcedit matrimonium; alia illud contractum subsequitur, &c.

§. I.

Quinam sint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?

In genere dici potest, quod impotentes illi sint ad matrimonium contrahendum, qui sunt impotentes, ad perfectam copulam maritalem, unde unde demum impotentia hæc proveniat, v. Quod sedem 2. h. 2. cum enim matrimonium ex natura sua institutum sit ad proli generationem, hæc autem naturaliter sine copula perfecta haberi non possit, consequenter, ubi est dicta impotentia, de jure naturæ matrimonium subsistere non potest. Ex qua doctrina in specie sequitur primò Eunuchos seu spadones, & utroque testiculo castratos, aut caecantes non posse contrahere matrimonium. Secundò sequitur, senes etiam decrepitos matrimonium contrahere posse, quamvis enim senectus sæpius sterilitatem inducat, non tamen impedit perfectum actum conjugalem. Tertio sequitur mulieres, quæ non possunt parere sine vitæ periculo, vel non nisi factum mortuum pariunt, matrimonium tamen contrahere posse, si aliàs ineptæ non sint ad perfectam copulam conjugalem. Quarto sequitur, quod etiam in articulo mortis constitutus validè matrimonium contrahere possit, cum potentia ad actum conjugalem in tali per se non deficiat, quamdiu vivit.

§. II.

An, & qualis impotentia coeundi dirimat matrimonium?

Impotentia perpetua, & absoluta respectu omnium, si præcedat matrimonium, dirimit illud jure naturæ, si ve impotentia hæc à contrahentibus cognita fuerit, si ve fuerit ignorata: neque enim potest talis corpus suum tradere alteri ad actum sibi absolute, & perpetuò impossibilem. Quid si tamen per miraculum v. g. talis impotentia postmodum ceteretur, matrimonium illud absolute nullum, per novum postea supervenientem consentum, validum fieri possit. Si vero impotentia illa respectiva tantum sit, & perpetua, nulliter quidem contrahitur cum ea, respectu cujus impotentia adest, non autem cum aliis; cum respectu illius quidem certæ personæ impossibilis sit actus conjugalis, non autem respectu aliarum. Et denique si temporalis tantum impotentia sit, quæ per media licet, & ordinaria, si ve spiritualia, si ve naturalia, tolli potest, non dirimitur matrimonium subsequens, cum tales non sint absolute impotentes ad actum conjugalem, sed tantum ad tempus; sicuti enim ad solvendum obligare se potest, qui in præsentem quidem, non tamen absolute ad solvendum est impotens, ita etiam in nostro casu fieri potest.

es* * 50